

nunquam ante acciderant, cum supersticio gentilis toto orbe ferveret. Re vera quando ante vacuis arenis seges fallax avari vota lusit agricolae, et spem rusticae plebis quaesita sulcis frugis herba destituit? Et unde Graecis oracula habita suae quercus, nisi quia remedium sylvestris alimoniae coelestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis Dodonaeas arbores, nisi gentium populus adoravit; cum pabulum triste agri nemorum honore donaret? Non est verisimile, quod indignantes eorum dii id pro poena intulerint, quod solebant placati conferre pro munere. Quae autem aequitas, ut paucis sacerdotibus dolentes victimum negatum, ipsi omnibus denegarent; cum inclemens esset vindicta, quam culpa? Non est igitur idonea, quae tantam aegretudinem mundi fallentis causa constrinxerit; ut virentibus segetibus subito spes anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos templorum jura toto orbe sublata sunt: modo ne demum diis gentilium venit in mentem suas injurias ultum ire? Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum? Esto tamen, si superiore anno deorum suorum injurias vindicatas putant, cur praesenti anno contemptui fuere? Jam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec baccae sylvestris explorat solatia; nec cibum de sentibus rapit; sed operum laeta foelicium dum messes suas et ipsa miratur, explevit voti satietate jejuniū: usurarios nobis reddidit terra proventus. Quis ergo tam novus humanis usibus vices stupeat annorum? et tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse fructibus. De Gallis quid loquar solito ditionibus? Frumentum Pannoniae, quod non severant, vendiderunt: et foecunda Rhetia fertilitatis suae novit invidiam. Nam quae solebat tutior esse jejunio, foecunditate hostem in se excitavit. Liguriam Venetiasque autumni frumenta paverunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, et iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam